

Ingenium docile, & sine doctore laudabile est. Non quid inuenias, sed quid quæras, con-^A
sideramus. Mollis cera, & ad formandum facilis, etiam si artificis & plastæ cessent manus,¹⁵
tamen uirtute totum est, quidquid esse potest, Paulus apostolus ad pedes Gamalielis *legem
Act. 22 Moysi & prophetas didicisse se gloriatur; ut armatus spiritualibus telis, postea diceret con-¹⁶
1. Cor. 10 fidenter. * Arma enim militiæ nostræ, non carnalia sunt, sed potentia Deo; ad destructionem
Dei * & captiuantes omnem intellectum, ad obediendum Christo; & subiugare parati cunctâ
1 Tim. 4 inobedientiam. Ad Timotheum scribit ab infantia sacris litteris eruditum: & hortatur ad stu-¹⁷
dium lectionis, * ne negligat gratiam, quæ data sit ei per impositionem manus presbyteris.
Tit. 1 Tito præcipit, ut inter ceteras uirtutes episcopi, quem breui sermone depinxit, scientiam
quoque in eo eligat scripturarum. Obtinentem, inquit, eum, qui secundum doctrinam est,
fidelem sermonem: ut potens sit exhortari in doctrina sana, & contradicentes reuincere.
Agg. 2 Sancta quippe rusticitas solum sibi prodest: & quantum ædificat ex uitæ merito ecclesiam
Christi, tantum nocet, si destruentibus non resistat*. Aggæus propheta, immo per Aggæum
Dent. 32 Dominus, Interroga, ait, sacerdotes legem. In tantum sacerdotis officium est, interrogatum
respondere de lege. Et in Deuteronomio legitur: Interroga patrem tuum, & annuntiabit
tibi; seniores tuos, & dicent tibi. In psalmo quoque centesimo decimo octauo: Cantabiles
mibi erant iustificationes tuæ, in loco peregrinationis meæ. Et in descriptione iusti uiri,
cum cum Dauid arbori uitæ, quæ est in paradiso; compararet, inter ceteras uirtutes & hoc
Psal. 1 intulit. In lege Domini uoluntas eius: & in lege eius meditabitur die ac nocte. Daniel in fi-^B
Dan. 12 ne sacratissimæ uisionis, iustos; ait, fulgere sicut stellas; & intelligentes, hoc est doctos,
quasi firmamentum. Vides, quantum inter se distent, iusta rusticitas, & docta iustitia? Alii
stellis, alii cælo comparantur: quamquam, iuxta Hebraicam ueritatem, utrumque de erudi-
tis possit intelligi: ita enim apud eos legitur: Qui autē docti fuerint, fulgebunt quasi splen-
dor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.
Act. 9 * Cur dicitur Paulus apostolus uas electionis? Nempe quia uas legis & sanctorum scripturarū
Mar. 1. 6 armarium est. Pharisei stupent ad doctrinam Domini: & mirantur in Petro, & Ioanne, quo
Act. 4 modo legē sciunt, cum litteras non didicerint. Quidquid enim aliis exercitatio & quotidia-
Ioan. 6 na in lege meditatio tribuere solet, illis Spiritus sanctus fuggerebat. * Et erat iuxta quod scri-
ptū est *Psal. 138* Duodecim annos Saluator impleuerat, & in templo senes de quæstio-
nibus legis interrogans, magis docet, dum prudenter interrogat. Nisi forte rusticum Pet-
Esa. 54 rum, rusticum dicimus Ioannem: quorum uterque dicere poterat: Etsi imperitus sermo-
1. Cor. 12 ne, non tamen scientia. Ioannes rusticus, piscator, indoctus? Et unde uox illa obscuro
Ioan. 1 In principio erat uerbum, & uerbum erat apud Deum, & Deus erat uerbum? λόγος enim Græ-
ce multa significat. Nam & uerbum est, & ratio, & supputatio, & causa uniuersiusque rei,
per quam sunt singula, quæ subsistunt. Quæ uniuersa recte intelligimus in Christo. Hoc do-
1. Cor. 1 ctus Plato nesciuit: hoc Demosthenes eloquens ignorauit. Perdam, inquit, sapientiam sa-
pientium, & prudentiam prudentium reprobo. Vera sapientia perdet falsam sapientiam:
1. Cor. 2 & quamquam stultitia prædicationis in cruce sit, tamen Paulus sapientiam loquitur inter
perfectos. * Sapientiam autem non sæculi huius, nec principum istius sæculi, qui destruntur:
sed loquitur Dei sapientiam in mysterio absconditam, quam prædestinauit ante sæcula.
Dei sapientia Christus est. Christus enim Dei uirtus, & Dei sapientia. Hæc sapientia in my-
1. Cor. 1 sterio abscondita est: de qua & noni psalmi titulus prænotatur, pro oculis filii: in quo
Col. 2 sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi: & qui in mysterio absconditus erat,
Rom. 1 prædestinatus est ante sæcula. Prædestinatus autem, & præfiguratus, in lege, & prophetis.
1. Cor. 2 Vnde & propheta appellabantur uidentes: quia uidebant eum, quem ceteri non uidebant.
1. Reg. 9 Abraham uidit diem eius, & lætatus est. Aperiebantur cæli Ezechieli, qui populo peccato-
Ioan. 8 ri clausi erant. Reuela, inquit Dauid, oculos meos: & considerabo mirabilia de lege tua.
Ezech. 1 Lex enim spiritualis est: & reuelatione opus est, ut intelligatur, ac, reuelata facie, Dei glori-
Psal. 118 am contemplerur. Liber in Apocalypsi septē sigillis signatus ostenditur: quem si dederis
1. Cor. 3 homini scienti litteras, ut legat, respondebit tibi: Non possum: signatus est enim. Quanti
Apoc. 5 hodie putant se nosse litteras, & tenent signatum librum, nec aperire possunt, nisi ille refera-
uerit, qui habet clauē Dauid; qui aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit. In Acti-
Apoc. 3 bus apostolorum sanctus Eunuchus, immo uir, (sic enim eum scriptura cognominat) cum
Act. 8 legeret Esaiam, interrogatus a Philippo: Putasne intelligis, quæ legis? respondit, quomo-
do possum, nisi aliquis me docuerit? Ego (ut de me loquar interim) nec sanctior sum hoc
Eunuchus; nec studiosior: qui de Aethiopia, id est, de extremis mundi finibus uenit ad
templum,